

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684


VD17 VD17 3:315948Z

XX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Hoc me etiam male habet, quod nunc in ternis literis admones, ut amicitiam nostram perpetuam observemus. Ego, charissime Domine Erasme, de tua non dubito, ita æquum fuerit opinor, ut & de mea non dubites, quod te, ut facias, etiam atque etiam rogo. Quod non respondeo, negocia obstant: quod vero doleo tuum abscessum, amor in causa est. Cæterum, quantum potui, te hætenus & defendi & defendo, sed mundus hic qualis sit, vides. Mea parum refert ubi sis, modo tibi bene sit, sed quod tali amico privor, non potest non male me habere. Quæ ego de loco vereor, non sunt committenda literis. Cæsarem ex Africa victorem redeuntem jam in Italiam audimus. Ferdinandum nunc etiam à Turcis timeri constans fama est. Tu bene vale & me ama. Friburgi Brisgoiæ, Anno MD XXXV. quarto Idus Septembr.

Ignosce ineptitudini, nam tot sum obrutus negociis, ut vix hæc potuerim scribere.



XX.

Viro optimo atque eruditissimo D. Erasmo

Roterodamo. S. P.

Accepi abs te, Erasme Charissime, unas atque alteras literas & eas legi, quas ad Reverend. patrem, Episcopum Londinensem, dedisti. Quod calculi morbo, qui tetam diu torfit, successit is, qui Linacro fatalis fuit. (obiit Linacer. 20. Octobr. 1524.) quanquam divina bonitas & virtus tua ejusmodi mala tibi vertunt in bonum, nos tamen amicali tui, qui nunquam animæ tuæ bonis tam valde gratulari possumus, ut non interim simus pro humana infirmitate de corpore tuo solliciti, perquam molestè ferimus, idque non tua tantum causa, cui tam prospera cupimus & precamur omnia, quam nobis: sed vel præcipuè totius orbis Christiani studio, ne morbus iste opera tua clarissima, quibus Christianam pietatem promovet, interturbet, quæ DEUM precor, ut properè tibi & feliciter contingat absolvere. Sed ante omnia quod adhuc deest hyperaspisti, quo opere nec ceteris omnibus fructuosius, nec amicis tuis jucundius, nec tibi vel speciosius vel magis necessarium potes excogitare. Vix credas profecto, opus illud quam avidè omnes expectent boni: Contra improbi quidam, qui aut Luthero student, aut tibi invident, ex ista rescribendi morâ gestire videntur & crescere. Quod si intermisisti, dum alia quædam interim perficeres, veluti institutionem Christiani matrimonii, quod Regina Serenissima merito facit maximi, id quod ipsa re brevi, ut spero, senties, æquo animo dilationem fero. Si ut rem tractes per ocium accuratius, etiam valde gaudeo, cupio enim

eam

eam partem tractari diligentissimè. Sin id est in causa, quod quidam ferunt periculi metum ejus operis meditationem excussisse tibi, ne audeas ulterius progredi, nec satis mirari possum, nec dolori meo moderari. Prohibeat DEUS, Erasme dulcissime, qui tot labores, tot pericula, tot herculeas ærumnas exantlasti, qui sudoribus & vigiliis, ut prodesse Orbi, dulces omnes ætatis annos impendisti, ne nunc tam misere incipias deamare morbidos, ut potius quam perdas calculum DEI causam velis deserere. Non vereor, ne nunc objicias mihi comicum illud: Omnes cum valemus &c. &: tu, si hic esses, aliter sentias. Equidem de me neque polliceri possum nec sperare quicquam, qualia dete propter egregia pectoris in DEO fortis fidentisque specimina mortales omnes expectant. Quod animi robur quia ad extremum vitæ tuæ actum pulcherrimè præstiturus sis, nunquam dubitare possum, etiam si catastrophe foret turbulentissima. Nunquam enim posses non confidere, qui tragœdiam explicaret, propitium è machina ad futurum Deum. Tantum abest, ut nunc te timor obruat, ubi, quantum ego video, non multum subest causæ. Nam si quid in hoc negotio fuerant intentaturi Lutherani, hoc, vel priusquam responderas quicquam, videntur fuisse facturi, sic enim fecissent, ne rescriberes, aut si scripta volebant ulcisci, furias suas effudissent edito libello primo, quo sic depinxisti belluam, sic ejus incessores spiritum demonstraisti digito, ut fumidum illum ac tartareum dæmonem velut Cerberum extractum ex inferis mortalibus visibilem spectandumque exhibueris. Nunc profecto quid supersit periculi, non video, quod non immineret ex æquo, etiam si nihil addideris amplius. Nam quum ad calumnias ejus in te responderis, cum eum calami tui stylo perfoderis, quum supersit tantum tractatio scripturarum, cum eam partem te diligenter exsecurum prioris partis mille exemplaribus, velut totidem syngraphis, toti orbi fidem tuam obstrinxeris, ne nunc DEI causam prosequaris, qui tuam peregisti, & quæ publicè promissisti persolvas, præsertim cum possis tam facile, nec Lutherus ipse tam excors est, ut velit sperare, nec tam improbus, ut audeat postulare. Quanquam cum optet te tacere, non dubito; quantum vis fingat magnificum tui contemptum in epistola illa ad te, dici non potest, gloriosa ne magis an stulta. Sed tamen satis sibi conscius est, quam mera glacies reddantur, expendent te, quæ nunc satis per se frigent, misera illa glossemata, quibus clarissimas scripturas laborat obscurare. Ceterum quoniam ipse istic in te præsentente ades, nos longè absumus, si quid in respondendo periculi vides, quod nec ipse declarare, nec nos divinare possumus, istud saltem quæso te exoremus, ut secreto responsum scribas & per fidum aliquem ministrum huc transmittas ad nos, bona fide curabitur & ab Episcopo Londinensi omnium, ut scis, integerrimo & tui amantissimo & à nobis, ne in publicum unquam prodeat, nisi tuto. Pater tuus, Erasme charissime, mirus est artifex, sed vereor ne non sensu-

rus sit Angliam tam fecundam ac fertilem, quam sperarat. Quamquam ne reperiat omnino sterilem, quoad per me fieri potest, efficiam. Optime factum, quod edito libello opinionem, quam de resparferant impii, quasi Carolstadii favisses hæresi, pulcherrimè confutasti & illius nebulonis technas, qui libro germanicè scripto eam famam seminaverat, elufisti. Quæ de re quamquam aliquando, si tibi DEUS concedat ocium, cuperem in fidei nostræ comprobationem tractatum aliquem abs tuo pectore tuendæ veritatis organo commodissimo proficisci, tamen ita sum de hyperaspiste sollicitus, ut nihil tibi tam cordi esse cupiam, ut quo minus id operis quamprimum perficias, alio tuas curas & cogitationes avocet. Vale, Erasme, mortalium omnium charissime. Ex Aula Grenuici, XVIII. Decembr.

Toto pectore plusquam totus tuus.

Thomas Morus.



X XI.

S. P. (Post excusationem audaciæ scriptionis.)

HAbes hic in collegio Sorbonico, qui tibi optimè volunt, sed quod sentiunt, mussare coguntur verius quam proferre. Nam eò quorundam tyrannis progressa est. Tertius jam anans agitur, ex quo cum Theologis versor frequentissimè, nimirum qui in ædibus illorum habitent. Gaudent plurimum, qui nominis tui studiosi sunt, quod tam modestè responderis ad determinationes illas à Badio excusas. Verebantur enim, ut universæ facultati notam apud posteros inureres, id quod tuo jure facere potuisses. Plura de hac re scriberem, sed temerarium me judicares, sit scio, qui literis committerem, quæ possent & me & illos gravare invidia. Sæpenter indolui, quod te viderem quorundam Sycophantiis toties à seriis studiis avocari. Efferunt Poète Herculis & Thesei constantem diligentiam in tam paucis monstris domandis, sed quid de te dicturi fuissent, qui tot undique in tuam perniciem ingruentia monstra simul conficias, cum illos nunquam vel duobus congressos fuisse legamus? Sed dabit DEUS iis quoque finem. Quod ad Scaligeri calumnias (quem Jacobus Colinus, Abbas D. Ambrosii & regius ^{in auz. 1565} facta literarum ^{peruicacia} sacrilegum appellare solet) nihil omnino respondere constitueris, video optimos quosque summopere probare. Nam quisquis is fuerit, nihil aliud quam scurra est & ridiculus anilium deliramentorum exaggerator. Sunt hic, qui in autore etiam communem sensum desiderant. Arbitror audivisse te Comædiam, nuper hic publi-